

agentium naturalium, vel juxta varias dispositiones quæ ab agentibus naturalibus in subjectis ponuntur. Pueri autem in conspectu parentum sunt quasi materia prima: quia omnes impressiones, omnesque formas recipiunt, quas in parentibus vident. Parentes superbi, iracundi et avari pueros ad superbiam, iram, et avaritiam instruunt: e converso parentes pietate et virtute clari filios etiam ad pietatem virtutemque promouent. Ideo summopere parentibus cavendum ne quid mali coram filiis agant, iisque bonorum operum exemplis præluceant; idque præstare necesse est, ne in maledictionem a Christo in scandalum dantes prolatam incurrant. *Vae homini illi, per quem scandalum venit* (Matth. 18), inquit Salvator. Vae tibi, pater, qui pravo tuo exemplo filios scandalizas, et ad ebrietatem, libidinem, aliaque vitia allicis: vae tibi, mater superba, impudica et iracunda, quæ pravo hoc exemplo filias scandalizas, et ad superbiam, libidinem, et iracundiam provocas; vae vobis, parentes, qui filiis vestris vitiorum exhibetis exempla. Scitote, quod melius, vobisque utilius esset in profundum maris projici, quam pravis exemplis filios scandalizare, et ad peccata pertrahere: *qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris*. Plura non dicam, ut parentes ad virtutum exempla filiis exhibenda inducam: tantum per transcennam eos monitos velim, ut filios consortio illorum immisceri non sinant, quorum vita est nequam, et quorum exemplo ad vitia allici possunt. Vis ut filius tuus pius sit et castus? pius et castus assume præceptores. Vis ut filius ad ebrietatem, libidinem et alia vitia non declinet? ejice famulos ebriosos, libidinosos, et aliis vitiis deditos. Vis ut filii licentiori vite non indulgeant? ne sinas eos cum illis versari, qui omni cum libertate variis se criminibus fodare solent: fac tandem ut filii tui peccantium societatem, tanquam pestem contagiosam fugiant: *pueri contagia debent fugere peccantium* (Ambr. in in Ps. 128, ser. 2). Præceptor ille, qui vino se ingurgitare solet, est pestis quam fugere debet filius: servus ille qui sæ-

pissime in blasphemias erumpit, pestis est, a qua declinare debet. Pestis est ancilla illa impudica, pestes sunt hi et illi nebulones. Propterea cura, ut illos omnes, veluti pestem contagiosam, fugiant filii tui; ne pravo eorum exemplo, tanquam contagio ad peccandum pertrahantur. Mementote, quod cum bonis bonus et cum malis malus quisque evadit: *cum bono bonus eris, et cum perverso perverseris*: non ergo sufficit quod filiis virtutum exempla præbeat, curandum quoque ut cum iis versentur, quorum exemplo ad virtutem sectandam alliciantur. Toti huic concioni finem faciam, adducendo præclara hæc S. Chrysostomi verba, dicentis: *Magnum habemus, pretiosumque depositum filios*. Quasi dicat: o patres et matres, filios Deus, tanquam depositum magnum simul et pretiosum, curæ vestræ commisit, hujusque depositi strictam ei rationem estis reddituri. Nil non molitur dæmon, ut hoc vobis rapiat depositum; omnem movet lapidem, ut filios ad peccatum et ad infernum trahat. Ut hujus depositi Deo rationem reddere valeatis, illudque a vobis dæmon non auferat, magna sollicitudine custodiendum est: *ingenti illos servemus cura, ne fur eos nobis astutus auferat*. Religiose ergo hoc depositum custodite, filios debite educate, corripite illos cum ad peccata declinant, de credendis et agendis eos erudite, bonisque eos fovete exemplis: sicque eos Deo et celo dignos facietis; ubi cum illis in æternum regnabit. Amen.

## FERIA V POST DOMINICAM SECUNDAM.

### DE IGNE INFERNI.

*Crucior in hac flamma* (Luc. 16).

Viri sancti, dum in hoc mundo viverent, mente et spiritu in infernum sæpe descendebant, ut tartarei ignis vim, potentiam et ardores serio contemplantur. Terribilem hunc ignem in meditationum suarum materiam crebro assumebant, probe

scientes, nihil potentius, nihilque efficacius ad præcavenda tartarei ignis supplicia, quam de iis sœpe cogitare, et ea frequenter meditari. Quia, ut perbelle dixit aureus orator: *Nemo eorum qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet* (Chrysost. ho. 2 in c. 2 ad Thes.). Aureum sane oraculum, quod heu quam pauci tenent! quam pauci de inferni ignibus cogitare satagunt! et quam multi advenientes hujusmodi cogitationes a mentibus suis fugant, ac veluti muscas importunas, vel sicut urgentes tentationes a se expellunt. Plerique similes sunt diviti avaro, qui in hoc mundo non de inferni flammis, sed de conviviis, de vanitatibus et de illicitis voluptatibus cogitabat: ast timeo, ne hi post mortem ad tartara proprent, ibique simul cum hoc epulone clament: *crucior in hac flamma*. Quod ne eveniat, tartareos sepe recogitemus ignes, eos crebro in memoriam revocemus, et de iis plures meditationes instituamus. Tota hæc concio nil aliud erit, quam meditatio ignis illius infernalis, a quo torquentur reprobī. *Ave*.

Cum epulonem audio in mediis inferni ignibus clamantem: *crucior in hac flamma*, mihi in mentem venit examinare, et inquirere quomodo hic ab igne torqueatur; an scilicet vere, vel imaginarie? an graviter, vel leviter? an ad tempus, vel semper et in æternum? Eum non imaginarie, sed vere ab igne torqueri suadent verba ipsius dicentis, quod in hac flamma torqueatur: non enim ait; probabiliter credo vel imaginor, me a flamma torqueri: *crucior*, inquit, *in hac flamma*. Eum etiam non leviter, sed graviter ab hac flamma torqueri convincit modus loquendi hujus divitis, qui patrem Abraham rogat, ut sui miseretur, quia scilicet gravia et dira sunt supplicia que ab igne patitur: *crucior in hac flamma*. Eum tandem in hac flamma diu cruciandum patet, quia nec ab ea liberari, nec minimum in ea refrigerium habere potuit; ibi clamat, et in æternum clamabit: *crucior in hac flamma*. O miseram avari illius sortem, qui ab igne tartareo vere, graviter, et diu torquetur! verum o miseram etiam et infelicem sortem omnium damnatorum, qui omnes in igne inferni 1. torquentur vere; 2. torquentur graviter; 3. torquentur semper.

## I PARS.

*Damnati in igne inferni torquentur vere.*

Certum est et a Concilio Florentino definitum, *Animas illorum, qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; eas etiam animas, que post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel iisdem exules corporibus sunt purgate, in cœlum nulla mora recipi: illorum autem animas qui in actuali mortali peccato decedunt, mox in infernum descendere*. Sicut autem electi in cœlo divini amoris igne sufflammabuntur, ita et reprobi in inferno ab igne tartareo comburentur et cruciabuntur: *sicut electos beatitudo letificat; ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat* (S. Greg. Dialog. 4, 28). Reprobi sunt arbores malæ, steriles et infructuose, que in morte exciduntur, et mox in tartareum ignem mittuntur: *omnis arbor que non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* (Matth. 3, 10). Tria sunt arborum genera, ait Hugo Cardinalis, de quibus Christus loquitur, et de quibus mentio fit Judicum cap. nono, vitis scilicet, ficus et oliva. Per vitem, inquit, intelligitur prelati, qui sunt vinea electa, quam Deus plantavit: *ego plantavi te vineam electam* (Jerem. 2, 21). Per ficum intelligendi religiosi, qui suaves paupertatis, obedientiæ et continentiæ fructus edere debent. Per olivam vero laici, qui debent facere opera misericordiæ, ut salvi fiant. Verumtamen time te prelati, time te religiosi, time te laici, time te omnes; quia si fructus æternæ gloriæ dignos non feceritis, in tartareum ignem cruciandi mittemini: *omnis arbor que non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*.

Justos Christus vocat *triticum suum*, reprobos vero *paleam*. Sicut autem triticum in horrea congregatur, et palea igni, vel aliis vilibus usibus adducitur; ita et Christus justos in horreum suum, seu in cœlestem habitaculum congregabit, repro-

hos vero in tartareum ignem comburendos et cruciandos mittet: *congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili* (Matth. 3, 12). Fornicarii, idololatræ, adulteri, fures, ebriosi, maledici, rapaces, et alii hujusmodi peccatores sunt paleæ, quas Deus in horrea sua non congregabit: hi nunquam regnum cœlorum possidebunt: *neque fornicarii, neque idolis seroientes, neque adulteri, neque molles, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (1. Cor. 6, 9). Quid ergo de hac palea, quid de his peccatoribus fiet? Si ante mortem non convertantur, mox ut mortui erunt, in tartareum ignem projiciuntur, ut ab eo comburantur et torqueantur: *paleas autem comburet igni inextinguibili*. O avari, qui aliena detinetis; o fornicarii, qui carnis voluptatibus indulgetis; o ebriosi, qui nimio vos ingurgitatis vino; o maledici, qui proximi famam lædere et auferre non formidatis; o peccatores insensati, qui vitii vestris summo affectu adhæretis, irridetis concionatores, confessarios, et alios pios monitores; pretiosum Christi profunditis sanguinem, et Spiritus Sancti gratias abjicitis, hæc omnia a vobis patitur Deus; expectat ut ad ipsum convertamini; vocat vos, et venire renuitis: vae vobis si ante mortem penitentiam non egeritis! vos inferni ignis cruciandos excipiet; *paleas autem comburet igni inextinguibili*. Reprobos Spiritus Sanctus non solum paleæ, etiam stuppæ comparat: *stuppa collecta synagoga peccantium, et consumatio illorum flamma ignis* (Eccl. 21, 10). Recte dicuntur peccatores similes stuppæ: quia sicut stuppa quid vile et contemptibile est, ita et peccatores vilissimi sunt et omni contemptu digni: *quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas!* Ad propositum autem nostrum dicendum, peccatores similes esse stuppæ, quæ sicut cito accenditur, ita peccatores in hoc mundo cito accenduntur igne concupiscentiæ, et citius accenduntur igne gehennæ: quos enim mors impœnitentes deprehenderit, illico in tartareum ignem mittentur; *stuppa collecta synagoga peccantium, et consumatio illorum flamma ignis*. Videmus in hoc mundo synagogam, seu collectionem usurariorum, qui ve-

luti hirundines sanguinem, substantiam et facultates pauperum avidè sugunt: *ecce stuppam*, quam ad comburendum diabolus præparat. Videmus tot viros potentes in sæculo, qui domesticos fraudant, subditos opprimunt, et nunc istius vineam, nunc illius hortum, nunc alterius domum iniquè rapiunt: *ecce stuppam* in inferni ignem mittendam. Tot videmus falsarios, qui Dei, conscientiæ, et salutis suæ immemores, iniquis contractibus, et falsis testimoniis proximi famam, et facultates injuste auferunt; *ecce stuppam*. Tot videmus iniquos iudices, qui pro modico lucro omnia jura pessumdant, iisque causam tradunt, qui majora offerunt munera: *ecce stuppam*. Quid vero dicemus de tot mercatoribus, quorum stateræ et mensuræ dolose sunt; qui habent pondus et pondus, mensuram et mensuram, qui quæ merces malas pro bonis, et supra justum pretium quotidie vendunt? *ecce stuppam*. Quid de tot libidinosi, qui stupris, adulteriis, pollutionibus, et obscœnis aliis libidinibus carnem suam fœdant, et animam suam trucidant? *ecce stuppam*. Quid tandem de ebriosis, maledicis, blasphemis, perjuris, et aliis peccatoribus? *stuppa collecta synagoga peccantium*: hi, ut ait Spiritus Sanctus, sunt quasi stuppa. O magnam stuppæ congeriem! Quid de hac stuppa fiet? quid fiet de his peccatoribus? hi in inferni ignem comburendi et cruciandi projicientur: *consumatio illorum flamma ignis*. Nec credas, quod ab igne cito consumerentur damnati, quia licet comburantur sicut stuppa, non tamen cito consumeruntur ut stuppa; eo quod, ut ait S. Cyprianus (serm. de Ascens.), ignis carnibus eorum adhærebit, corpora eorum allambet, eosque cremabit, et diu cruciabit; *immortales miseri vivent inter incendia, et inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus dives nec erit qui vestuanti lingue stillam aquæ infundat. In proprio adipe frigida libidinis bullient: et inter sartagine flammæ miserabilia corpora cremabuntur*. De salamandra refert D. Augustinus, quod in mediis ignibus vivat; *salamandra in ignibus vivit*. Reprobi similiter in mediis inferni ignibus vivent, ignis eos allambet, eos comburet, eosque ita penetrabit, ut quilibet damnatus ac-

censæ fornaci similis futurus sit, et ut ait propheta, Deus illos ut clibanum ignis ponet; *pones eos ut clibanum ignis*. Vidiſtis forte fornaces, in quibus coquuntur lateres, vel in quibus liquantur metalla ad tormenta bellica conficienda. Postquam in iis fornacibus ignis una vel altera die remansit, muri, portæ, et omnia interiora earum ita accensa et ab igne penetrata sunt, ut fornaces hæ igneæ potius quam lapideæ vel lateritiæ videantur: accensis autem et ignitis iis fornacibus similes erunt damnati, quia eos omnino penetrabit et undequaque pervadet tartareus ignis. Quod præclare adnotavit Sanctus Gregorius Papa, qui præfata prophetæ verba exponens, ait damnatos in inferno ponendos *ut clibanum ignis*. Quia sicut ignis non solum calefacit concavam superficiem fornacis in qua est, ita pariter ignis inferni non tantum superficiem carnis reproborum calefaciet, eos totaliter penetrabit, eosque omni ex parte accendet; *ut ostendat reprobos interius, exteriusque ardere* (Mor. 15, 17). Quilibet damnatus habebit ignem in corde, ignem in pulmone, ignem in cerebro, ignem in oculis, in lingua, et in ipsis ossium medullis, nec erit aliquis nervus, musculus aliquis, cartilago, vel vena aliqua, quæ a tartareo igne non penetretur; ignis intus et foris eos inflammabit et comburet, *ut ostendat reprobos interius exteriusque ardere*.

O quam vere, imo, quam dire ab igne inferni torquebuntur damnati! ignis nostri scintilla ad modicum supra nudam manum vel supra pedem remanens, non modicum causat dolorem; quam ergo vere et quam dire damnatos torquebit tartareus ignis, cum non sit solummodo parva quædam ignis scintilla, sed fornax accensa, fluvius ignis, *stagnum ignis*, ut ait Sanctus Joannes Evangelista; *ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus*, ut ait Tertullianus; quam vere, inquam, et quam dire reprobos torquebit ille ignis, qui non solum leviter et transeunter manum vel pedem attinget, sed damnatis firmiter adhærebit eosque omni ex parte penetrabit. Docet Doctor Angelicus, quod ad causandum dolorem requiritur conjunctio alicuius mali, ut v. g. dolorem in manu mea causet ignis, debet ei coniungi per se, vel per actionem suam,

et quo intimus ignis manus meæ unietur, eo graviorem illi dolorem inferet. Ignis autem inferni damnatis strictissime unietur, eorum carnes et ossa penetrabit, medullas, viscera, et omnia interiora eorum pervadet, in ipsum intellectum, et in ipsam eorum animam acriter aget: ideo damnatos vere simul et gravissime torquebit. Quod in secunda huius concionis parte jam latius nobis probandum est.

## II PARS.

### *Damnati ab igne inferni torquebuntur graviter.*

Ignis inferni quasi iudex a Deo institutus *interrogabit ossa, et medullas, et cogitationes nostras*, inquit Eusebius Emisenus. Hic ignis intima cordium penetrabit, ut pravas cuiusque intentiones, et illicita desideria sollicitè inquiret, et interrogabit cujusque memoriam, intellectum, aliasque animæ potentias hic ignis interrogabit sacriloga blasphemorum, et impiorum linguas, interrogabit oculos, manus, et alia corporis membra per quæ quisque peccaverit, ac tandem interrogabit et inquiret quamnam quisque pœnam mereatur; *hic ignis erit inquisitor meritorum omnium* (Cassian. collat. 15, 10). Ac in primis mirari oportet quod hic ignis quemque plectet juxta ejus merita, unde alios magis et alios minus pro diversitate meritorum torquebit; *negandum non est, ignem æternum pro diversitate meritorum, aliis leviorum, aliis futurum esse graviorem*. Licet autem tartareus ignis alios magis, et alios minus torqueat, omnes tamen graviter torquebit, quia eum Deus insufflabit, accendet, et armabit adversus omnes reprobos, ut eos graviter cruciet. *Armavit* olim Deus cinifes, ranas, et alia vilia insecta, ut contra Pharaonem belligerent; *armavit* interdum terram, cum ab ea populos multos glutiri voluit; maiori sollicitudine et modo extraordinario armabit et incitabit inferni ignem, ut ardeat, comburat, et gravissime reprobos omnes torqueat. Sicut enim Nabuchodonosor adversus tres

pueros iratus, in fornacem eos mitti jussit, et præcepit ut succenderetur fornax septuplum, quam succedendi consueverat (Dan. 3, 16). Ita Deus tartareæ fornacis ignem ardentissime accendit, ac flatu, et præsentia sua exardescere faciet, ut acrius agat in reprobos; *ignis in conspectu ejus exardescet* (Psal. 49, 3). Ignis tandem ille a Deo incensus, et supernaturaliter elevatus, ita damnatos cruciabit, ut quantam ab igne pœnam sint passuri, explicare nequeamus: *quam sit horrendum illud supplicium, oratio nequit explicare* (Chrys. tom. 3 op. ). Ut aliquam gravissimorum suppliciorum, quæ ab igne perferunt reprobi, animis nostris ideam ingerat Doctor Angelicus, ait ignem illum esse ardentissimum, non solum quia a Deo adversus damnatos irato succensus, verum etiam quia hic ignis summo frigore circumdatus, per antiperistasis, suum intendet calorem: *ignis ibi erit fortissime caliditatis, quia calor ejus erit undique congregatus, propter frigus terre ipsum undique circumstans*. Quæ ratio ut intelligatur, advertendum, infernum esse in terræ centro, quo nihil a sole remotius; advertendum etiam, quod quo locus aliquis magis distat a sole qui luminis et caloris pater est, eo magis (naturaliter loquendo) in eo friget. Quare cum ignis inferni sit in centro terræ, maximum est frigus quo circumdatur; et ideo calor ejus per circumstans illud frigus magis intenditur: quantus ergo erit calor illius ignis a Deo succensi, et a circumstante frigore intensi, et quanta erit pœna, quam ab hoc igne sic successo patientur damnati? Tanta quidem, ut eam explicare non possit humana eloquentia: *quam sit horrendum illud supplicium, oratio nequit explicare*. Aliam rationem, qua probent summam illius ignis caliditatem et activitatem, nonnulli authores desumunt ex materia cui adhaerebit, et ex qua nutrietur. Ipsa experientia constat, ardentiorum esse et acrius urere ignem cum sulphuri, bitumini, vel simili alteri inhæret materiæ; nonnunquam enim videmus, quod ex pice, nitro, bitumine, pulvere tormentario aliisque similibus rebus componantur ignes, quorum tanta activitas, ut facillime duriora liquent metalla, turres altiores funditus ever-

tant, urant in medio aquarum, et alia portentosa officiant. ignis autem inferni ex hujusmodi materiis constituitur: ut enim ait S. Scriptura, infernus est *stagnum ignis et sulphuris*; (Apoc. 10, 10), et ut docet Tertulianus, infernus est quasi totius mundi cloaca, in quam defluunt omnes terræ sordes, ex quibus fit ignis tenebrosus, foetidus, et ardentissimus; annon maxima damnatis erit pœna, in medio hujus ignis morari, vivere, et indesinenter uri? annon prægrande ab hoc igne patientur supplicium? tantum quidem, ut illud *oratio nequeat explicare*.

Ne credas, inquit sanctus Chrysostomus, ignem inferni nostro esse similem; *cum ignem inferni audis, ne arbitraris huic similem*. In mentem revoca, ait idem Doctor, tyrannos omnes, qui immanius et crudelius sævierunt in martyres; pone, si libet, ignem, ferrum, bestias, et quæcumque alia quæ ad eos torquendos assumpta sunt; imaginare graviora quæ unquam perpessi sunt supplicia, et certus esto, quod hæc omnia, respectu eorum quæ damnati in inferno ab igne perferunt, non tormenta, sed veluti quadam tormentorum umbra dicenda sint, *nec umbra sunt hæc ad illa tormenta*. Animo versa quiquid in hoc mundo passi sunt famosissimi quique rei, mentis tuæ oculis obijce quidquid a barbarorum sævitia pati possunt homines; et quantumvis hæc tibi gravia videantur, pro certo habeas, hæc ludicra, et quasi nullius esse momenti in comparatione horrendorum suppliciorum, quæ a tartareo igne patientur damnati: *hæc omnia ludicra et risus sunt ad illa supplicia*. Ignem compone maximum, ac tantum, quantum volueris, inquit D. Augustinus; in illum projice sulphur, salnitrum, et alia quæcumque igni ardentissimo conficiendo inservire possunt, fac ut hic ignis babylonica fornace sit ardentior, si tamen cum tartareo conferatur, non verus ignis, sed ignis pictus vocandus est; *hic ignis depictus est, quantumvis intense accensus sit*. Heu! si ignes nostri, quantumvis acerbis et accensi, sint solum ignes depicti respectu ignium inferni, si etiam omnia, quæ rei, et martyres unquam perpessi sunt, umbra et ludicra sint in comparatione eorum, quæ ab inferni igne patientur damnati, quantum, quæso, est istorum



quidem fore ignem in quo torquebuntur reprobi, pœnam tamen et combustionem eorum non fore æternam: ideo ut notum omnibus fiat, eos ab igne æterno in æternum comburendos et torquendos, postquam illos ad æternos ignes condemnavit, subdit, et concludit asserens, quod ibunt hi in supplicium et in combustionem æternam: *Hoc prævidens Dominus sententiam suam conclusit, dicens: ibunt illi in combustionem æternam* (S. Aug. *de fide*, 15). Quid clarius? Quid evidentius? Idem Christus Salvator de peccatore a Deo per crimina sua separato ait, quod *mittetur foras sicut palmes, et areseet, et colligent eum, et in ignem mittent et ardet* (Joan. 15, 6). Cur non dixit Christus: in ignem mittent eum, et ardebit; sed mittent eum, et ardet? Ipse orationis contextus expostulare videbatur, ut diceret, et ardebit, non autem *et ardet*: cur ergo dixit Christus, *et ardet*? sic loquitur Christus, ut per illud verbum de presenti significet æternitatem, cui omnia sunt præsentia. Ut enim exponit cardinalis Toletus, cum ait Christus: *et ardet*; idem est ac si dicat: *ardet jam, et ardet sine fine et in perpetuum*. Si petas a Christo, quid factum sit de Juda, qui a tot sæculis ad tartara damnatus est? respondebit; *et ardet*. Si quolibet momento quod fluit, et quolibet hora quæ transit, si quolibet anno, et quolibet sæculo quod in interminabili æternitate occurret, ab eo petas, quo in statu sit proditor ille, respondebit Salvator: *et ardet* Judas, et omnes qui ex hoc mundo in statu mortalis peccati exeunt, mox ut mortui sunt, in tartareo igne ardent, in eo æternum ardebunt, et in quolibet totius æternitatis puncto, de iis dici poterit, quod ardeant; *et ardet*. O quam terribilis hæc æternitas: o quam horrendum, semper et in sempiternum in tartareo hoc igne ardere!

Triplex a Deo institutus est ignis ad purganda, vel ad vindicanda hominum crimina; ignis scilicet Spiritus Sancti, ignis purgatorii, et ignis inferni. *Ignis Spiritus Sancti* est Dei amor, qui si perfectus sit, virtutem habet omnia peccata delendi; ut patet in Magdalena, cui omnia remissa sunt peccata, quia hoc igne successa fuit: *remituntur ei peccata multa, quoniam di-*

*lexit multum* (Luc. 7, 47). O quam felices, qui sacro hoc igne inflammantur! *Ignis purgatorius* est subterraneus quidam ignis a Dei iustitia accensus, ut in eo viri iusti post mortem a le-vibus quibusdam culpis purgentur, vel ut temporaneas aliquas pro peccatis pœnas lauant; felices etiam qui per hunc ignem transeunt, quia salutis suæ certi sunt; *ipse autem salcus erit, sic tamen quasi per ignem* (1. Corint. 3, 15). *Ignis tartareus* a Deo in terræ centro accensus est ad cruciandos eos qui in statu lethalis peccati moriuntur, est ignis terribilis et inextinguibilis, qui non ad tempus, ast semper et in æternum torquebit reprobos: *non extinguetur flamma successioneis. Et videbit omnis caro, quia ego Dominus succendi eam, nec extinguetur* (Ezech. 20). Time-te, peccatores, contremiscite, quia Deus ignem preparavit inextinguibilem, qui torquebit vos, non una dumtaxat hora, non ad centum solum vel ad mille annos, sed in æternum. Totum contremisco, cum apud Isaiam (30, 33) lego, Deum fornacem illum tartaream ad torquendos peccatores præparasse; *præparata est enim ab heri Topheth, a rege præparata, profunda et dilatata. Nutrimenta ejus ignis et ligna multa*. Addit Evangelicus Propheta, quod Deus in æternum fornacis hujus ignem insuflabit, quodque status ejus erit quasi torrens sulphuris: *flatus Domini sicut torrens sulphuris succedens eam*. Propheta huic accinit alius propheta, Ezechiel scilicet, dicens, quod ignis hic a Dei flatu succensus, omne lignum, seu omnes peccatores cujusvis status et conditionis esse possint, acriter comburet: *ecce ego succendam in te ignem, et comburam in te omne lignum viride, omne lignum aridum*. O quam vehemens, et quam terribilis ille ignis! Jam dicat quis, quamdiu durabit, et quamdiu ignis ille reprobos torquebit? forte ad menses, vel ad annos aliquos? non ad menses, nec ad annos, sed in æternum; quia hic ignis, a Deo ad cruciandos reprobos accensus, nunquam extinguetur; *non extinguetur flamma successioneis*. O quam horrendum, incidere in manus Dei viventis! O quam formidanda vindicta, quam sumit Deus, de inimicis suis; o quam terribilis ille ignis, quo reprobos torquet vere, torquet graviter, torquet semper!

quam ergo insensati peccatores, qui hunc ignem evadere non satagunt! fateor, quod verba desint, nec loqui valeam, ut exprimam dementia hominum in statu lethalis peccati viventium; qui cum coram se accensos tartari rogos videant, ab eis declinare non curant. Sciunt, quod subitanea morte rapi possint; norunt, quod si subito moriantur, mox in æternos inferni ignes præcipitabuntur; et tamen sua per poenitentiam crimina delere negligunt, et reauunt: o quantam stultitiam! Credunt miseri, quod sub eorum pedibus est infernus; credunt, quod ibi est fluvius, et quasi mare igneum, in quod æternum cruciandi præcipitabuntur, si non convertantur ad Dominum; et tamen nec de conversione cogitant; o stulti, o insensati homines! Cum eis dicimus: creditisne æternum esse ignem inferni? respondent: *credo*. Cum ab eis petimus, an credant omnes in statu mortalis peccati morientes in æterno hoc igne cruciandos? respondent: *credo*. Licet autem se hoc credere profiteantur, aliena non restituant, inimicis parcere nolunt, pravos non eradicant habitus; poenitentiam, et alia ad hunc ignem vitandum necessaria agere recusant; o magnam, o inexplicabilem hominum hujusmodi stultitiam! O stulti, aliquando sapite, a peccatis aliquando surgite, ut gravia et æterna hujus ignis supplicia declinare valeatis. Si terret vos poenitentia, ut vanum hunc terrorem expellatis, mementote, quod *in inferno erit una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in amarissima poenitentia* (In vitis Patr. l. 3, 5). Suadet astutus dæmon duriora et acerbiora esse poenitentiæ exercitia; gravissima vero et æterna tartarei ignis supplicia ab hominum mentibus avocet, vel ea quasi nullius momenti esse inspirat; vos tamen duriozem in hoc mundo poenitentiam generose suspicite, quia *in inferno erit una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in amarissima poenitentia*. Hoc probe noverat senex ille monachus, in maxima austeritate vivens; qui rogatus quomodo rigorem illum perferre posset, respondit: *omnis labor totius temporis quo in hac solitudine vixi, nondum unius horæ tormentorum æternorum spatium adæquat*. Amabat ille hujus mundi poenitentiam, quia timebat inferni

supplicia; amarem et nos poenitentiam, si terribilia, et æterna ignis tartarei supplicia sæpe recogitaremus. O peccator, qui salutarem poenitentiam tantopere reformidas, animo volve hoc stagnum ignis et sulphuris; serio meditare hunc locum tormentorum, ubi miseri in fasciculos colligati gemunt, clamant et ululant. Ibi considera innumeros avaros, libidinosos, blasphemos, invidos, gulosos, et alios reprobos, qui dirissime torquentur in igne inextinguibili, quia in hoc mundo poenitentiam agere noluerunt. Hæc serio perpende, et intra temetipsum dic: o quam melius est in hoc mundo aliena restituere, inimicis parcere, a blasphemis, fornicationibus, et aliis vitiis abstinere, quam in inferno ardere: sic intra temetipsum loquere, sic ratiocinare, ac veræ poenitentiæ operibus studiose incumbere, ut tartareos ignes devites, et æternæ felicitatis gaudia assequi merearis. *Amen*.

## FERIA VI POST DOMINICAM SECUNDAM.

## DE INTERNIS DAMNATORUM SUPPLICIIS.

*Crucior in hac flamma* [Luc. 16, 15].

Consueverant olim christianæ religionis hostes, fideles vestibus sulphure, pice, resina, aliaque materia ad ustionem idonea imbutis induere, eosque deinde in urbium compitis alligare, et in mediis noctis tenebris, admoto igne, eos vivos comburere; *ut in noctis faces converterentur*. O crudele spectaculum! quid enim horribilius, quam quod homines innocentes vivi comburantur, et quasi in faces accensas convertantur? Immane hoc inventum ex dæmonis officina hand dubie prodiit: Christus vero mira sacri sui amoris inventione, in conspectu omnium ponit divitem avarum tartarei ignibus circumdatum,